



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

LI. Ex statuto domini Eberhardi Saltzburgensis archiepiscopi, quod incipit:
Quoniam. De patronis qui partem aduocationis, cum praesentant, sibi
retinent ex pacto.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

XLIX.

ANNO
CHRISTI
1420.

De eodem, ex statuto domini Eberhardi Saltzburgensis archiepiscopi, quod incipit: Quamquam.

Excommunicati sunt laici aduocati ecclesiarum, qui suis iuribus non contenti, in consuetas & enormes nouitates in ipsas ecclesias exercent & attentant, & ultra debita onera aggrauare non formidant.

L.

De patronis ecclesiarum, qui post tempus a iure præfixum occupant ecclesias, aut impediunt superiores in collatione.

Ex statuto domini Ioannis Tusculani, quod incipit: Ecclesiarum.

Patroni ecclesiarum ad ecclesias vacantes præsentare debent personas idoneas infra tempus a iure statutum. Qui vero post lapsum eiusdem temporis per mensem ecclesias ipsas retinere & occupare præsumperint, ipso facto sunt excommunicati, & ea vice præsentatione huiusmodi ecclesiarum priuati; quas superiores infra tempus eis a iure præfixum conferre tenentur: alioquin a collatione beneficiorum sunt ipso facto suspensi. Laici vero impediens ordinariū prouidere volentem, ipso facto excommunicationis sententiam incurrunt.

L I.

Ex statuto domini Eberhardi Saltzburgensis archiepiscopi, quod incipit: Quoniam. De patronis qui partem aduocationis, cum præsentant, sibi retinent ex pacto.

Laici patroni ex pacto sibi retinentes partem decimarum, vel aliarum obventionum ecclesiasticarum in beneficiis, cum præsentant clericos ad ea, excommunicari debent, & terra eorum ecclesiastico interdicto supponi, donec ecclesiam liberam dimittant sub suo iure: saluo tamen eis iure patronatus. Clerici autem taliter ab ipsis recipientes beneficia, officio & beneficio priuentur: nec ad beneficium vel actus ecclesiasticos admittantur, nisi per sedem apostolicam cum eis fuerit dispensatum. Episcopi vero & archidiaconi, qui talibus scienter curam commiserint

ANNO
 CHRISTI
 1420.

animarum, sub institutione huiusmodi beneficiorum & collatione perpetuo sint suspensi.

LII.

De eodem, ex statuto eiusdem domini Eberhardi archiepiscopi Saltzburgensis, quod incipit: Beneficia.

Clerici qui presentantur ad ecclesias per patronos cum assignatione alicuius portionis, ut residuum vñibus patronorum applicetur, si de hoc non deferunt querelam ad episcopum suum, sunt ipso iure suspensi, & per episcopum huiusmodi beneficiis spoliandi. Patroni vero per episcopum, cum hoc ad ipsum deductum fuerit, ab huiusmodi exactione compescantur. Et si in hoc pertinaces reperti fuerint, ad presentationem huiusmodi ecclesiarum, cum proxime vacauerint, nullatenus admittantur.

LIII.

De laicis qui sine consensu praelatorum bona fabricæ ecclesiarum deputata administrant. Ex statuto domini Ioannis Tusculani, quod incipit: Laicos.

Laici sine assensu praelatorum & capitulorum bona fabricæ ecclesiæ deputata administrare non possunt. Et qui contrarium fecerint, si infra mensem, postquam per ordinarium loci moniti fuerint, non desistunt, excommunicati sunt ipso facto.

LIV.

De his qui ecclesias & earum ædificia violenter & sine praelatorum assensu incastellare præsumunt, aut gentes ibi tenere.

Ex statuto eiusdem domini Ioannis Tusculani, quod incipit: Nonnullos.

Qui ecclesias, campanilia, seu alia ecclesiarum ædificia violenter & sine praelatorum assensu incastellare, aut personis armatis munire præsumperint, & eorum heredes huiusmodi violentiæ participes, per suos superiores excommunicationis pœna percillantur.